Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Hieronimus ad Theodosium et ceteros anachoritas intrinsecus commorantes

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

dum loquitur cum samaritana. dum ad pedes sibi sedente maria de caelorum disputat in regno. dum ab inferis resurgens primum mulierculis apparet. Satanas uero et archangelico fastigio non aliam ob causam nisi ob contrariam humilitati superbiam ruit. et iudaicus populus primas sibi cathedras et salutationes in foro uindicans deputato antea in stillam situlae gentili populo succedente deletus est. contra sofistas quoque saeculi et sapientes mundi petrus et iacobus piscator mittitur. cuius rei causa scriptura ait. superbis deus resistit humilibus dat gratiam. Vide frater quale malum sit quod aduersarium habet dominum. ob quod in euuangelio et pharisaeus ut adrogans spernitur et humilis publicanus audiitur. Decem iam nisi fallor epistolas plenas tam officii quam precum misi cum tu ne mutum quidem facere dignaris. et domino loquente cum seruis. frater cum fratre ne loqueris. quies contumeliose. Crede mihi nisi stilus uerecundia prohiberet tanta lesus ingererem ut inciperes mihi rescribere iratus. sed quoniam et irasci hominis est. et iniuriam non facere christiani. ad antiquum morem reuertens rursus precor ut et diligentem te diligas. et conseruo sermonem conseruus impertias. Vale in domino

HIER. AD THEODOSIV ET CETEROS ANACHORITAS INTRINSECVS COMMORANTES

Quam uellem nunc uestro interesse conuentui et admirandum consortium licet isti oculi non mereantur aspicere. Tota cum exultatione complecti. spectarem desertum omni amoenius ciuitate. uiderem desolata ab accolis loca quasi ad quoddam paradisi instar sanctorum coetibus obsideri. Verum quia hoc mea fecere delicta ne consortio beatorum insereretur obsessum omni crimine caput. Idcirco obsecro quia uos impetrare posse non ambigo ut me istius saeculi tenebris uestro liberetis oratu. et ut ante dixeram praesens. et nunc per litteras non uotum indicare non cesso. quod mens mea omni ad id studium cupiditate rapiatur. nunc uestrum est ut uoluntatem sequatur effectus. meum est ut uelim. obsecrationum uestrarum est ut uelim ut possim. ego nam sum quasi a cuncto grege morbida oberrans ouis. quod nisi me bonus pastor ad sua stabula humeris impositam reportarit. lababunt gressus. et in ipso conamine uestigia concident adsurgentis. Ego sum ille prodigus filius qui omnem quam mihi pater crediderat portione profusa necdum me ad genitoris genua submisi. necdum coepi prioris a me luxoria blandimenta depellere. et quia paululum non tam destiti a uitiis quam coepi uelle desinire. nunc me nouis diabolus retibus ligat. nunc noua impedimenta proponens maria undique circumdat et undique pontum. nunc in medio constitutus elemento nec regredi uolo nec progredi possum. superest ut oratu uestro sancti spiritus aura me prouehat et ad portum optati litoris prosequatur.

HIERONIMI AD PAPAM DAMASUM DE FIDE CVI IN ANTIOCHIA COMMVNICARE DEBERET.

Quoniam uetusto oriens inter se populorum furore conlisus indiscissam domini tunicam et desuper textam minutatim per frusta discerpit. et christi uineam exterminant uulpes. ut inter lacus contritos qui aquam non habent difficile ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit possit intellegi. Ideo mihi cathedram petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam inde nunc meae animae postulans cibum unde olim christi uestimenta suscepi. Neque uero tanta